

busdam casibus et speciatim quando privilegium conceditur in favorem cultus divini; tunc enim late sumendum est. Sed quæri potest: An, in concedendo huiusmodi privilegio, derogatio regulæ Cancellariæ XVIII de jure quaesito non tollendo sit necessaria? Sententia affirmans nobis videtur magis consentanea litteræ et menti regulæ, necnon praxi Sanctæ Sedis. Legimus quidem apud Riganium non requiri derogationem, quando agitur de concessionibus emanatis ob bonum publicum, cum publica utilitas particulari præferri debeat (*Comm. in reg. Cancell.*, t. II). Sed anno 1801, quando inter Pium VII et primum reipublicæ Gallicæ consulem, de modo resarciendi damna sanctæ religioni illata conventio inita fuit, sane agebatur de bono publico et generali populorum Gallicæ; attamen, in suis litteris apostolicis supra memoratis *Ecclesia Christi et Qui Christi Domini vices*, Pontifex derogationem prædictæ regulæ necnon alteri exprimere non destitit.

ADNOTATIO XXVI.

Lib. I, Tit. III, § VIII, n. 211; pag. 254.

DE CLAUSULA MOTU PROPRIO IN BREVI INNOCENTII PP. XII LIBRUM: *Explication des maximes des saints, REPROBANTE.*

Mirum quam ineptis observationibus et reservationibus clausula *motu proprio*, in brevi prædicto inserta, apud episcopos Galliarum in conventibus provincialibus adunatos occasione dederit. Legantur documenta a jurisperito Lemerre collecta in opere *Recueil des actes, titres et mémoires concernant les affaires du clergé de France*, tom. I, col. 419 et seqq. Deo optimo maximo favente, nostris diebus res in melius cesserunt. Nullus profecto episcoporum Gallicæ minimam temporis particulam ad tam inania hodie impendere vellet. Non tamen omnes episcopi Galliarum, anno 1699, clausulam præfatam impugnaverunt, nam in conventibus plurium provinciarum Tolosane scilicet, Narbonensis, Remensis, Cameracensis, Viennensis, Ebrudunensis, Bituricensis et Aquensis breve apostolicum receptum fuit sine ulla circa clausulam querela. Non idem dicendum de cæteris, Parisiensi videlicet, Albiensi, Burdigalensi, Senonensi, Auscitana, Rothomagensi, Lugdunensi et Turo-nensi.

ADNOTATIO XXVII.

Lib. I, Tit. IV, de Consuetudine, § III, n. 88; pag. 282.

DE CONSUETUDINIBUS ABROGATIS ET REPROBATIS.

Urbani VIII, in const. *Romanus Pontifex*, 5 jun. 1621, verba quæ magis attendenda sunt hæc: «Necnon reliqua omnia quotcumque et qualia-
cumque eidem Sedi apostolicæ vel jurisdictioni,

immunitati aut libertati ecclesiasticæ, seu Ecclesiis vel personis ecclesiasticis earumve juribus, bonis et fructibus quomodolibet præjudicialia, per quoscumque sufficienti et legitima facultate apostolica non munitis, facta, gesta, et respective perpetrata cum omnibus et singulis quandocumque et quomodocumque inde secutis, et quocumque tempore longissimo executioni demandatis et observatis, fuisse et esse ipso iure nullas et invalidas, ac nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti, indebitaque et illicita, ac de facto præsumptas et præsumpta, nullumque præjudicium eisdem intulisse, nec inferre unquam posse, illasque et illa ex quocumque temporis cursu, nec etiam ex quacumque prætensa observantia, quantumlibet diuturna, longæva, longissima seu immemorabili, etiam cum fama prætensi privilegii apostolici... decernimus.»

In litteris item encyclicis, die 21 martii 1853, a Sanctissimo D. N. Pio PP. IX ad episcopos Galliarum directis, hæc verba seligimus: «Omni igitur episcopalis vestræ vigilantie studio nihil unquam, neque re, neque verbis prætermittite quo fideles ipsi nanc Sanctam Sedem magis magisque ex animo diligant, venerentur, omnique obsequio excipiant et exequantur quidquid Sedes ipsa docet, statuit, atque decernit. Hic autem haud possumus quin vobis exprimamus summum dolorem qua affecti fuimus, ubi, inter alia improba scripta istic vulgata, nuper ad nos pervenit libellus gallica lingua exaratus, ac Parisiensibus typis editus, et inscriptus: *Sur la situation présente de l'Église Gallicane relativement au droit coutumier*, cujus auctor iis plane adersatur quæ vobis tantopere commendamus atque inculcamus. Quem libellum nostræ Indicis congregationi reprobandum et damnandum commisimus.»

Porro istius libelli, de facto a S. C. Indicis damnati, quasi summam in cap. v decretorum concilii Ambianensis, ann. eod. 1853 celebrati, deprehendimus, et in medium producimus:

« Tradit enim aut insinuat iste liber:

» I. Non solius Papæ iudicio solvendam esse questionem de conciliandis inter se jure reservationum quod summo Pontifici competit, et jure proprio Episcopi ad ordinariam suæ diocesis gubernationem; et introducendum esse jus consuetudinarium tanquam regulam juxta quam hæc lis dirimenda est;

» II. Non improbabilem esse opinionem secundum quam Papæ urgenti abolitionem consuetudinis juri communi contrariæ, in aliquibus diocesis existentis, episcopi possunt legitimam oppositionem facere, saltem donec rationes necessitatis recognite fuerint;

» III. In regione ubi arcta fuit Ecclesiam inter et statum politicum colligatio, rationabilem fuisse consuetudinem qua constitutiones apostolicæ, ad Ecclesie disciplinam spectantes, tanquam obligatorie non reputantur, quin prius in diocesis

promulgatæ fuissent prævio potestatis civilis placito;

» IV. In præsentis episcopos Galliarum posse legitime, vi consuetudinis, nonnullas constitutiones apostolicas disciplinam respicientes, si excipiantur casus extraordinarii, agnoscere tanquam pro se non obligatorias, quæ antea non promulgatæ fuerunt in Gallicæ diocesis;

» V. Episcopum, in præsentis questionis statu, legitime posse apud nos, vi principiorum juris de consuetudinibus, excludere a sua diocesi, non modo tantum provisorio sed absoluto, liturgiam Romanam;

» VI. In haud paucis suis decisionibus recentibus, congregationes Romanas, a summis Pontificibus pro generali Ecclesie administratione institutas, sequi viam bono Ecclesiarum Gallicæ nocivam;

» VII. Necessitatem recurrendi ad Romam, juxta decisionem Congregationis concilii pro casu in quo aliquis sacerdos foret suspensioe *ex informata conscientia*, sibi videri plagam auctoritati metropolitanæ inflictam;

» VIII. Nullam apparere rationem prætentionis qua Congregatio Romana concilii, sub prætextu supplendi omissiones, sibi arrogavit jus introducendi additiones in acta conciliorum provincialium;

» IX. Impulsionem, quæ ad amplectendam liturgiam Romanam inducit, haud probandam esse;

» Et plura alia quæ cum his assertionibus connectuntur.

» Prædictas assertiones et opiniones, alias tanquam sane doctrinæ contrarias, alias tanquam saltem menti Ecclesie adversas, sanctæ Sedi apostolicæ et, sub aliquo respectu, episcopis injurias, summopere improbandas ducimus et improbamus.

» Insuper, etsi conciliorum provincialium continuationem a se exoptari inuat, nihilominus suggerit aliam viam ab episcopis sequendam, ita ut collectionem Ecclesiarum Gallicæ, quæ nullum peculiare auctoritatis et jurisdictionis centrum habent, exhibeat tanquam corpus quod deliberare, agere, decernere possit. Introdicit itaque principium regiminis ecclesiastici perturbativum et periculis gravidum, cum in futurum exurgere possint circumstantiæ, prout præteriti temporis experientia docet, in quibus schismaticis tentaminibus plurimum faveret. Perspicuum est hoc placitum extra viam rectam aberrare. Equidem Ecclesie mos est, imo et præceptum, episcopos plurimis de rebus decernere communi consilio et actu, quando id suarum dioceseon utilitas postulerit. Sed Ecclesia, quæ est acies bene ordinata, et in qua omnia ex ordine fiunt, non voluit has communes sanctiones, concertatione arbitraria, absque regulis, et sine summi Pontificis interventu, confici. Sapientissimo enim ordine constitutum est primo ut episcopi uniuersusque provincie ad concilium rite celebrandum, vocante metropolitano, in unum conveniant; deinde ut, omnium conciliorum provincialium decretis, priusquam publicentur, Sanctæ

Sedis iudicio submissis, episcoporum actio, in capite Ecclesie ad unitatem redacta, vere communis efficiatur. Cum ergo episcopis incumbit officium declarandi aut statuendi, communi sanctione, regulas circa doctrinam, mores et res ecclesiasticas, synodi provinciales sunt via bona, Ecclesie praxi consentanea, canonibus præscripta, Sanctæ Sedis apostolicæ probata, quam solam, nisi adsint obstacula et extraordinarie necessitates urgeant, et tunc quidem cum intentione submitteendi quam primum res actas summo Pontifici, a nobis tenendam esse profitemur.

» Indigitavimus hujus libri summam. Jam vero si quaeratur unde profluat spiritus ille quem in eo reprobavimus, quique totum ipsum quasi inficit, rem penitus scrutantibus nobis apparet situm esse hunc fontem in duabus opinionibus, quarum prior negat auctoritatem summi Pontificis supremam esse pro gubernanda Ecclesia potestatem, et declarat aliam esse potestatem quæ ipsi superior sit; posterior vero qua affirmatur solemnitas summi Pontificis iudicia, in causis fidei ex cathedra prolata, de se reformabilia esse, eorumque irreformabilitatem ab aliqua extrinseca sanctione pendere. Ex quo enim vicarii Christi auctoritas qualis est non agnoscitur, facile intelligitur qua ratione multipliciter in ipsam peccari possit. Quapropter duas istas opiniones in ecclesiis, seminariis et scholis nostrarum dioceseon doceri omnino prohibemus.»

«I. *Observations sur un mémoire adressé à l'épiscopat sous le titre: Sur la situation présente de l'Église Gallicane relativement au droit coutumier; Paris, Lecoffre, 1852. — Mémoire sur le droit coutumier jugé par le Pape, les Cardinaux et les Evêques; Paris, 1853, Lecoffre.*

Legatur denique apud Giraldum, *Expositio jur. pontif. juxta recentiorum Eccl. disciplinam*, nova edit. Romæ, apud Dominicum Ercole, 1829, elenchus consuetudinum a jure et a summis Pontificibus abrogatarum et reprobatarum; quæ consuetudines usque ad numerum CV perveniunt.

Ex illis hoc in loco quasdam referre placet:

I. Consuetudo dimittendi dignitates ecclesiasticas sine superioris licentia, easque administrandi sine ejusdem confirmatione; cap. *Cum venerabilis*, 7, de *Consuetudine*.

II. Item retinendi simul duo beneficia incompatibilia, absque legitima dispensatione; cap. *Consuetudinem*, 1, eod. tit. in 6.

III. Item appellandi a vicario generali ad episcopum, cap. *Non putamus*, 2, eod. tit. in 6.

IV. Consuetudo tollendi, aut restringendi libertatem eligentium in electione prælati ecclesiastici, cap. *Cum terra*, 14, de *Elect.*

V. Item iudicandi clericorum causas juxta laicorum consuetudines, et non juxta sacros canones; cap. *Quod clericis*, 9, de *Foro competent.*

VI. Item præscribendi absque bona fide; cap. *Quoniam*, 20, de *Præscriptionibus*.

VII. Item instituendi ad beneficia sine consensu episcopi; cap. *Ex frequentibus*, 3, de *Institut.* Hæc tamen abrogatio intelligenda est cum agitur de beneficiis, quæ pleno jure ab aliis non conferuntur.

VIII. Item reconciliandi ecclesiam pollutam (quæ prius erat consecrata) per simplices sacerdotes de mandato episcopi, aqua ab ipso benedicta; cap. *Aqua*, 9, de *Consecrat. eccl.*

IX. Item non residendi a rectoribus ecclesiarum parochialium; a S. Pio V const. *Cupientes*, 23 julii 1568.

X. Item non servandi cæremoniale episcoporum ad divina officia rite celebranda, aliasque functiones juxta reformationem factam a Clem. VIII, const. *Cum novissime*, 14 julii 1600.

XI. Item abrogatæ sunt quæcumque consuetudines immemorabiles, etiam cum asserta forma privilegii apostolici, militantes contra libertatem ecclesiasticam, et ecclesiis ac personis ecclesiasticis, earumque bonis præjudiciales, ex const. Urbani VIII, *Romanus Pontifex*, 5 junii 1641, cui concordat bulla in die Cœnæ Domini legi solita, et auth. *Cassa de Sacr. Eccl.* quamque per partes optime expendit Fagn. lib. I, cap. *Consuetudines*, 1, de *Consuetudine*, a n. 58 ad 81. Hujus Urbanæ constitutionis verba præcipua superius relata fuerunt.

XII. Item consuetudo, etiam longissimi temporis, non servandi numerum dierum festorum præscriptum a dicto Urbano, const. *Univers.* id. sept. 1642.

XIII. Item consuetudo etiam immemorabilis recedendi a S. R. E. cardinalibus e statu ecclesiastico, absque licentia Summi Pontificis; Innoc. X, const. *Cum juxta*, 19 februar. 1646.

XIV. Item consuetudo ordinandi alienos subditos, non servatis conditionibus præscriptis in const. Innoc. XII, *Speculatores*, 4 nov. 1694.

XV. Item consuetudo, etiam immemorabilis, contra disposita a Conc. Trid. et S. Pio V in collatione beneficiorum, ex const. ejusdem Innoc., *Ecclesie*, 22 sept. 1695.

XVI. Item abrogatæ sunt consuetudines, etiam immemorabiles, adversus præscripta in cæremoniali episcoporum, rituali romano, vel rubricis missalis et breviarii servanda in ecclesiis tam sæcularibus quam regularibus; ex concilio romano sub Benedicto XIII, tit. XV, cap. 1, de *Celebrat. miss.*, prout etiam abrogaverat S. Rituum Congregatio, approbante Urbano VIII, et Innoc. XIII, const. *Apostolici*, 13 maii 1723.

XVII. Item consuetudo, etiam immemorabilis, non explicandi Evangelium a parochis diebus dominicis et festis, etiam prætextu quod in aliis ecclesiis dictis diebus habeantur conciones ad populum; Ben. XIII, const. *In supremo*, 23 sept. 1724.

XVIII. Item consuetudo contraria, etiam immemorabilis, circa institutionem præbendæ theologicæ et canonici penitentiarum; ex ejusdem const., *Pastoralis*, 14 cal. junii 1725.

XIX. Item de non psallendo a choro addictis una cum aliis; ex const. Ben. XIV, *Cum semper*, 19 aug. 1744, § XXIV.

XX. Tandem consuetudo, etiam immemorabilis, non applicandi a parochis missam diebus festis pro populo, et missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere; ex mox cit. const. ejusd. Benedicti.

ADNOTATIO XXVIII.

Lib. I, Tit. IV, § VIII, n. 191; p. 501.

DE CONSUETUDINE IMMÉMORABILI.

Studiosi fructuose perlegent circa hanc materiam Fagnanum, lib. I *Decretalium*, tit. IV, de *Consuetudine*, cap. *Consuetudines*; et lib. III, tit. XXXVI, de *Religiosis domibus*, cap. *Ad hæc*; nec non elenchum consuetudinum abrogatarum et reprobatarum a Giraldo conditum, de quo supra in adnotatione XXVII.

ADNOTATIO XXIX.

Lib. I, Tit. V, de *Postulatione prælatorum*, § III, n. 77; p. 516.

DE JURE NOMINANDI AD QUÆDAM BENEFICIA CONSISTORIALIA PRINCIPIBUS CONCESSO VIRTUTE CONCORDATORUM.

In concordato anni 1801 leguntur sequentes articuli: « IV. Consul primus Gallicanæ reipublicæ, intra tres menses qui promulgationem constitutionis apostolicæ consequentur, archiepiscopos et episcopos, novæ circumscriptionis diocesis præficiendos, nominabit. Summus Pontifex institutionem canonicam dabit juxta formas, relate ad Gallias, ante regiminis commutationem statutas. V. Item consul primus ad episcopales sedes, quæ in posterum vacaverint, novos antistites nominabit, iisque, ut in articulo præcedenti constitutum est, apostolica Sedes canonicam dabit institutionem. »

Quæritur utrum nominatio, sic a principe facta debeat postulatio, electio, nominatio sensu canonico nuncupari? Respondendum negative, ex dictis ab auctore nostro hoc titulo et sequenti.

In editione compendiarum Anacleti Reiffenstuel, Parisiis, anno 1853 vulgata, t. I. p. 275, reperitur adnotatio hisce verbis concinnata: « Omittit auctor *nominationem* illam quæ fit vi concordatorum et per quam principes designant illos, qui ad sedes episcopales sunt promovendi per ipsum Pontificem. Nominatio regia aliquid habere videtur de natura presentationis, de qua pauca dicit Reiffenstuel n. 18, de *Electione*. Legatur Thomassin, *Vetus et nova disciplina*, part. II, lib. II, cap. XL, n. 6. » Sed tit. eod. n. 12: « Cæterum, inquit auctor noster, electio, sicut et postulatio, fit de uno tantum, adeo ut, si plures eligantur, nominatio sit potius quam electio per textum allegatum;

et, si etiam unus solum nominetur, postulatio sit, vel quasi postulatio, arg. cap. *Bonæ memoriæ*, 3, de *Postul. prælatorum*, ibi: « Per electionem postulationem, seu nominationem canonicam. » Ubi Glossa fin. ait quod « talis nominatio satis similis est postulationi, imo quasi idem: unde dicit postulationem, seu nominationem. » Deberet ne igitur nominatio a principe facta postulatio vocari? Resp. negative stando principiis, quia ii tantum postulant qui eligere sensu canonico possunt; atqui principes nullo modo in hoc sensu eligere possunt; ergo. Insuper advertere quisque debet in cap. præallegato *Bonæ memoriæ* legi: « Postulationem seu nominationem canonicam. » Cf. Fagnanum, cap. *Bonæ memoriæ*, 3, de *Postul. prælatorum*; et Adnotationem proxime sequentem.

De incommodis, quæ suboriri possunt ex nominationibus a principibus, factis sic se exprimit DD. Affre, archiepiscopus Parisiensis:

« François I^{er} avait obtenu de Léon X de nommer aux évêchés. Quand on pense aux mœurs de ce prince, si distingué sous d'autres rapports, qui ne regrette de le voir désigner au chef de l'Eglise les censeurs des mœurs, les gardiens de la vertu et de l'innocence? Les princes de la branche des Valois, ses successeurs immédiats, et les princesses dont ils subirent l'influence, rendirent plus sensible encore cet humiliant patronage. Jusqu'en 1789, deux rois seulement, Louis XIII et Louis XVI, se distinguèrent par une austère vertu. A côté du ministre de la Feuille, qui exerçait cette importante prérogative de la royauté, combien d'influences dont l'homme religieux ne peut lire l'histoire secrète sans éprouver un sentiment pénible et une profonde affliction! De grands évêques semblèrent justifier la concession faite à la couronne; toutefois des hommes tels que Bossuet et Fénelon n'auraient pas été repoussés par le clergé du XVII^e siècle; le premier aurait probablement occupé le siège le plus important du royaume; le second n'aurait pas subi la disgrâce de la cour pour avoir osé penser à faire de son élève un roi moins absolu que son aïeul, plus ambitieux d'être le père de ses sujets que leur dominateur.

« Si l'Eglise de France n'eût compté tant d'hommes éminents par leurs lumières et leurs vertus, si l'opinion de ces hommes que les rois sont plus ou moins forcés de respecter, n'eût formé un puissant contrepoids au crédit des courtisans, l'épiscopat français se serait bien plus fortement ressenti de cette influence énervante.

« Cependant elle eut des résultats très-regrettables, et assez connus pour que nous puissions les signaler sans témérité. Le premier et le plus incontestable fut la grande dépendance où les évêques furent de la cour; dépendance qui loin d'augmenter le dévouement, on ne saurait trop le dire aux flatteurs des rois, l'affaiblit et le

corromp, ou tout au moins lui donne une fausse direction. Au lieu de servir les vrais intérêts du pouvoir, le dévouement créé par la faveur n'en sert que les fantaisies et les caprices.

« Le roi dans la pratique est, dit Fénelon, plus chef de l'Eglise que le Pape (*Œuvres*, tom. XXII, *Plans de gouvern.* § iv). Mais dans cette position, le roi obtenait plus de complaisances que de vrais services. C'est dans ce sens qu'il faut entendre ces paroles de l'archevêque de Cambrai: « Depuis le concordat de Léon X avec François I^{er}, dit encore Fénelon, presque tous les liens entre le Pape et les évêques ont été brisés, parce que leur sort ne dépend que du roi (*Œuvres*, tom. II; de *Summi Pontificis auctoritate*, cap. XLIV et XLV).

« Qu'on ne soit pas surpris si ce grand homme les accuse aussi de trop consulter le vent qui souffle de la cour. Ils le consultèrent surtout lorsque Louis XIV fit ses choix presque exclusivement dans la noblesse. Peu content de venir à ses triomphes et aux pompes de Versailles, de lui livrer les commandements militaires et civils, il voulut la faire asseoir sur les sièges épiscopaux. Ces leudes du XVII^e siècle, fiers d'approcher le grand roi et de le servir, n'accoutumèrent que trop les prélats, leurs frères ou leurs enfants, à subir le même joug. Ces mœurs appartiennent à une autre société, mais voici une observation applicable à notre époque. Il n'entre dans la pensée de personne de replacer les évêques dans leur ancienne position, dans les rapports divers qui existaient entre l'épiscopat français et la couronne, et cependant les amis de notre gouvernement verraient un grave danger à le faire renoncer au droit que lui donne le concordat. Nous n'essaierons pas de les convaincre par des arguments ou par des faits anciens, dont ils pourraient récuser l'application, il nous suffira de les inviter à examiner ce qui se passe en Belgique, et d'interroger les hommes graves qui connaissent bien ce pays. Nous les prions d'être préoccupés d'une seule chose dans cet examen, de l'influence que peut avoir sur le dévouement des évêques la nomination royale¹.

« Revenons à l'ancienne monarchie française. « Un premier inconvénient fut donc d'établir sous ce régime une espèce de suprématie religieuse du souverain, c'est-à-dire l'institution la plus funeste au christianisme, à la morale, à la liberté des peuples... Le traité de 1516, combattu à son origine, n'était pas très-gouté par Fénelon, qui dit tout simplement (*Œuvres*, t. XXII, *Plans de gouvern.*, § iv) que l'Eglise de France, privée de la liberté d'élire ses pasteurs, est un peu au-dessous de la liberté dont jouissent les calvinistes du royaume, et les catholiques sous le sceptre du Grand-Turc. » (*De l'appel*

¹ In Belgio, qui promovendi sunt ad episcopatum Papæ præsentantur ab episcopis una cum metropolitano Mechliniensis delibentibus.

comme d'abus. Parisiis, Adr. Le Clère, 1845; part. I, cap. v, art. 2.)

ADNOTATIO XXX.

Lib. I, Tit. VI, de Electione et electi potestate, § I, n. 25, pag. 320.

UTRUM NOMINATIO PER PRINCIPEM FACTA UT PRÆFERATUR ÆQUIPOLLEAT ELECTIONI CANONICÆ?

Respondendum negative. Si præfata nominatio nullo modo possit postulatio, uti jam dictum in Adnotatione præcedenti, a fortiori nec electio vocari. Quia, in ordine temporum, systema nominationum a principe factarum, in locum electionum canonicarum, Sede apostolica ita decernente, invectum fuit, graviter erraret qui nominationem electioni æquiperaret. Ut probe intelligantur articuli IV et V concordati, pro Galliis inibi anno 1801, oportet in animum revocare illa quæ constituta fuerunt, die 16 aug. 1516, a Leone PP. X, pro Galliarum Ecclesiis.

In capite de Electionis derogatione inscripto legitur: « Et cum ex electionibus quæ in Ecclesiis cathedralibus et metropolitans, ac monasteriis dicti regni a multis annis citra fiebant, grandia animarum pericula provenirent, cum pleræque per abusum sæcularis potestatis, nonnullæ vero præcedentibus illicitis et simoniacis pactionibus, aliæ particulari amore et sanguinis affectione, et non sine perjurii reatu, fierent... idem Franciscus rex, nostris paternis monitis tanquam verus obedientie filius parere volens, in locum dictæ pragmaticæ sanctionis ac singulorum capitulorum in ea contentorum, leges et constitutiones infra scriptas, invicem tractatas, et cum fratribus nostris S. R. E. cardinalibus diligenter examinatas, et de eorum consilio cum præfato rege concordatas, per dilectum filium Rogerium Barthe, regium advocatum, oratorem suum, ad hoc ab eodem Francisco rege ad nos destinatum, habentem ad hoc speciale et sufficiens mandatum, acceptavit.

In capite sequenti, De regia ad prælaturæ nominatione faciendâ: « De eorundem fratrum consilio et unanimi consensu, ex certa nostra scientia et potestatis plenitudine statuimus et ordinamus quod de cætero, perpetuis futuris temporibus, loco dictæ pragmaticæ sanctionis... videlicet ut de cætero cathedralibus et metropolitans ecclesiis in regno dicto, Delphinatu, et comitatu Diensi ac Valentiniensi, nunc et pro tempore, etiam percessionem in manibus nostris et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicæ institutionis sponte factam, vacantibus, illarum capitula et canonici ad electionem seu postulationem inibi futuri prælati procedere non possint. Sed, illarum occurrente hujusmodi vacatione, rex Franciæ pro tempore existens unum gravem magistrum seu licenciatum in theologia, aut in utroque seu altero iurium doctorem, aut licenciatum in universitate

famosa et cum rigore examinatis, et in XXVII sætatis anno ad minus constitutum et alias idoneum, infra sex menses a die vacationis Ecclesiarum earundem computandos, nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus seu Sedi prædictæ nominare, et de persona per regem hujusmodi nominata per nos et successores nostros seu Sedem prædictam provideri. Et si contigerit præfatum regem personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, nos et successores seu Sedes hujusmodi de persona sic nominata eisdem Ecclesiis minime providere debeat, sed teneatur idem rex, infra tres alios menses, a die recusationis personæ nominatæ non qualificatæ, sollicitatori nominationem non qualificatam prosequenti consistorialiter factæ, et intimidandæ computandos, alium supra dicto modo qualificatum nominare... » (Rebuffus, Concordata inter Sanctiss. D. N. Papam Leonem ac christianiss. regem Franciscum; sec. edit. 1538.)

Ex his liquet 1º nominationem quæ fit a principe non esse nominationem proprio sensu canonicam, siquidem hæc fit de pluribus, illa autem de uno, ut fert textus: « unum gravem magistrum » et scribit Rebuffus in Tract. nominationum, quæst. I, n. 28, ibi: « Hodie quædam nominatio fit a rege Franciæ in prelaturis; » 2º electiones fuisse abolitas et principem nullo modo excogitari posse tanquam compromissarium designatum a Papa loco et nomine capitularium; 3º novam methodum introductam esse nominationem a principe faciendam, minus efficacem quam electionem; siquidem electus habet jus ad rem, ut aiunt, indigens tantum confirmatione, dum nominatus scrutinio subjectus remanet Papæ qui illum rejicere potest utpote non idoneum: ideo ex nominatione consequi tantum quoddam jus præparatorium ad beneficium, sicut accidit in presentatione a patrono facta, ut verbis utar Glossæ super pragmaticam in cap. de collationibus, apud Rebuffum, Tract. nominationum, quæst. IV, n. 2; 4º per concordatum anni 1801 majores facultates Principi non fuisse quam antea concessas, articulo IV decernente quod summus Pontifex institutionem canonicam dabit « juxta formas relate ad Gallias ante regiminis commutationem statutas; » verba quæ libertatem Pontificis omnino præservant. Cf. Adnotationem proxime sequentem.

ADNOTATIO XXXI.

Lib. I, Tit. VI, § II, n. 28; pag. 320.

UTRUM PONTIFEX TENEATUR INSTITUTIONEM CONFERRE CANONICAM CUILIBET A PRINCIPE NOMINATO?

Respondendum negative. Si Pontifex electum confirmare non tenetur, a fortiori nominatum tanquam eligendum et instituendum admittere. Quoad Gallias, verba præmemorata concordati 1801 omnem ambiguitatem tollunt. Ante regiminis com-

mutationem, vigente scilicet concordato anni 1516, Pontifex quemlibet a rege nominatum, utpote non idoneum, rejicere poterat, et, ut ipsius conscientia informaretur, nebat processus inquisitionis juxta regulas a concilio Tridentino, sess. XXIV de Reform., cap. 1, et sess. XXII de Reform., cap. II, et a Summis Pontificibus Gregorio XIV et Urbano VIII præscriptas, quas videre est apud D. Bouix, Tract. de Episcopo; Parisiis, 1839, Lecoffre, tom. I. Hæc sunt formæ, quarum sub articulo IV concordati mentio facta est, et quæ etiamnum servantur. Porro hæc agendi ratio Pontificis, processum inquisitionis circa idoneitatem subjecti, mediante nuntio apostolico instituentis, supponit in ipso Pontifice jus repellendi nominatum, alioquin formæ istæ prorsus evaderent inanes et illusoriæ.

« Nec desunt exempla, scribit Rigantius, Comment. in reg. Cancell. in reg. II, § I, similium rejectionum de personis nominatis a Pontificibus expletarum. Apud cardinalem Ossat plures extant epistolæ super rejecta nominatione Renati Benedicti ad episcopatum Trecentensem, quamvis esset Henrici IV confessarius. Alter, Ludovico XIII regnante, ad cathedralem ecclesiam nominatus, admissus non fuit. Et Petro de Marca doctissimo viro, ad archiepiscopatum Parisiensem nominato, dilata fuit expeditio bullarum, quousque in meliorem rectioremque sensum nonnullas propositiones, quæ in ejus tractatu de Concordia sacerdotii et imperii legebantur, corrigeret et emendaret. Et san. mem. Innocentius XI nominatos illos ad cathedrales, qui comitiis Parisiensibus interfuissent anno 1682, constanter admittere recusavit, et in eadem constantia perseveravit san. mem. Alexander VIII, necnon san. mem. Innocentius XII in principio sui pontificatus, donec tandem, cum rex christianissimus per suas litteras et ab eo nominati debitam Sedi apostolicæ præstitissent satisfactionem, rege etiam ipso enixe supplicante, ad Ecclesias promoti fuerunt, ut ex documentis apud vir clar. Bernin. in Histor. hæresum, tom. IV, in Innoc. XII. »

Nostris etiam recentioribus temporibus, dignoscuntur exempla similia. Anno 1829 Jacobus Raillon, qui, nominatus ad episcopatum Aurelianensem anno 1810, diocesis administrationem nomine capituli, invitis licet et reluctantibus sacris Ecclesie canonibus, susceperat et per aliquot annos retinuerat, fuit iterum nominatus ad episcopatum Divionensem; et institutionem canonicam non consecutus esset, nisi scripto testimonium dedisset se prorsus tunc temporis ignorasse decretum concilii generalis Lugdunensis II, quo vetatur « ne quis ad Ecclesiam electus ipsius administrationem aut regimen ante confirmationem, sub œconomatus vel procuratoris nomine aut alio de novo quesito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in toto, gerere, vel recipere, vel illi se immiscere præsumat. » Nuperrime R. D. Maret ad episcopatum Venetensem, et R. D. Mouniq ad episcopatum sancti Petri et Arcis Gallicæ in

insula Martínica nominati a Sancta Sede non admissi fuerunt.

Attamen « si rex dignum nominat, inquit Rigantius loco citato, non potest salva justitia Pontifex nominationem non admittere. Sot. ad regul. XL Cancell. n. 12; Rebuff. ad Concordata Gall. pag. mihi 85; Salzed. Paleott. et alii quos refert Franciscus Ramos del Manzano in Supplic. libell. ad Alexandrum VII, propos. I, pag. mihi 30, n. 19; Frass. de Reg. patr. cap. vi, n. 33. Habere enim concordata vim contractus, ex eorum verbis et diplomate Leonis X, probat Natal. Alex. sæc. XV et XVI, part. ultima dissert. XI, art. 6; quorum vel unum caput violare, nec Pontifici, nec regi est integrum, Matt. De caus. consistor., sect. XVIII per totum, plene Rot. In Seguntina archidiaconatus, 4 februar. 1729, § Explorato, et § Corruente et seqq. coram reverendissimo Aldrovando.

» Addit Thomassin, tom. II, lib. I, cap. 48, n. 7. Hæc autem, ex Rebuff., in tract. de Regia ad prælaturæ nominat., quod si Pontifex semel admittat eum qui a rege nominatus fuit, non possit amplius rex resilire, aut alium nominare, sicuti et contigisse ait Rebuff. ut, præsertim se, judicaretur non potuisse Pontificem, post approbatum quem rex nominasset, retractare sententiam, et facit Calderin. consil. 5 De elect. Vidimus tamen quod, episcopatu Vicensi in Catalonia vacante, Philippus V Hispaniarum rex unum præsentaverat, isque anno 1708 fuerat in consistorio præconizatus; sed paulo post, recognite in regem catholicum etiam Carolo III, dictæ provinciæ possessore, fuit ad ejus presentationem de dicta Ecclesia provisus Emmanuel Sanjust y Pages, ut ex litteris apostolicis expeditis anno 1709, XI kalendas martii. » Hucusque Rigantius.

ADNOTATIO XXXIII.

Lib. I, Tit. VI, § II, n. 54; pag. 325.

QUI LIBET ELECTUS, ET A FORTIORI NOMINATUS, NON POTEST ADMINISTRATIONEM ECCLESIE SUSCIPERE ANTE CONFIRMATIONEM VEL INSTITUTIONEM CANONICAM.

Hæc propositio militat contra auctorem nostrum qui tenet electos in concordia, constitutos extra Italiam nec Sedi apostolicæ immediate subjectos, posse immediate administrare, etiam ante obtentam confirmationem. Probatur ex constitutionibus Alexandri V et Julii II, ut expresse docet Giraldus Exposit. jur. pontif. juxta recentior. Eccl. disciplinam, part. I, sect. 47, ubi post citatum cap. Nihil est, 44, hæc titulo, sapienter addit: « Hæc decretali permittenti ut prælati electi in concordia, valde remoti, videlicet ultra Italiam constituti, administrare possint suas prælaturas, jurisdictionemque exercere ante confirmationem, derogatum est ab Alexandro V et Julio II statutis ut prælati de Ecclesiis sæcularibus vel regularibus pro-